

Ad sextum dicendum, quod beatitudo est perfectio hominis in quantum est homo: & quia homo non habet quod sit homo ex corpore, sed magis ex anima, corpus autem est de essentia hominis in quantum est perfectum per animam: ideo beatitudo hominis non consistit principaliter nisi in actu anime, & ex ea derivatur ad corpus per quamdam redundantiam, sicut patet ex his que dicta sunt XLIV. dist. quest. 11. art. 4. in corp. Quaedam tamen beatitudo corporis nostri erit, in quantum Deum videbit in sensibilibus creaturis, & precipue in corpore Christi.

Ad se primum dicendum, quod intellectus est perceptivus spiritualium, non autem visus incorporalium: & ideo intellectus poterit cognoscere divinam essentiam sibi conjunctam, non autem visus incorporalia.

ARTICULUS III.

Utrum Sancti in patria videndo Deum, eum comprehendant.

I. P. quest. XII. art. 3. & III. contr. Gen. cap. xv. de ver. quest. VIII. art. 8.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Sancti in patria videndo Deum, comprehendant. I. Corinth. IX. 24. Sic currite ut comprehendatis. Cursus autem est ad primum. Ergo comprehensio Dei est primum virtutis, quod Sanctis reddetur.

2. Præterea, Augustinus dicit in Lib. de videndo Deum, cap. VII. Totum comprehenditur videndo quod ita videtur, ut nihil ipsius lateat videntem. Sed si Deus videtur ab aliquo, nihil ipsius lateat videntem: quia cum sit simplex, non potest esse quod aliquid ejus videatur, & aliquid lateat. Ergo Deus à quolibet ipsum vidente comprehenditur.

3. Præterea, Omne quod totum totaliter videtur, comprehenditur. Sed Deus à videntibus essentiam totus videtur, & totaliter: quia totus Deus non est nisi ejus essentia; quilibet etiam ejus modus est ejus essentia: nec potest essentia ejus videri, nisi ipse totus, & totaliter videatur. Ergo ab omnibus essentiam suam videntibus comprehenditur.

4. Præterea, Sicut dicitur in III. de Anima, text. xv. intellectus eodem modo intelligit se, & alia. Sed, sicut dicit Augustinus in Lib. LXXXIII. Quest. quest. XIV. omne quod se intelligit, comprehendit se. Ergo omne quod intelligit aliud, comprehendit ipsum. Sed quilibet videns essentiam divinam, intelligit ipsam. Ergo comprehendit eam.

5. Præterea, Omne illud de quo cognoscitur quid est, comprehenditur, quia hoc cognoscitur quasi per suam definitionem: comprehenditur autem cujus fines circumscribi possunt, ut dicit Augustinus in Lib. de videndo Deum, cap. VII. Sed omne illud cujus essentia videtur, cognoscitur de eo quid est. Ergo quilibet essentiam Dei videns, comprehendit ipsum.

6. Præterea, Quantitas actionis est secundum quantitatem formæ, quæ est actionis principium: secundum enim quantitatem caloris est quantitas calefactionis. Sed forma, quæ est cognitionis principium, est id quo cognoscens cognoscit. Ergo secundum modum ejus quo cognoscitur, est modus cognitionis. Sed illud quo cognoscitur Deus, non est aliud quam ejus essentia, ut dictum est supra; hæc autem infinita est. Ergo & visio infinita: ergo ea potest divina essentia comprehendi, quamvis sit infinita.

7. Præterea, Si essentia divina non potest com-

prehendi, hoc non est nisi propter excessum claritatis ipsius. Sed excessus cognoscibilis impedit cognitionem, in quantum corrumpit potentiam cognoscitivam: quod accidit tantum in sensu, non autem in intellectu, ut patet ex hoc quod dicitur in III. de Anima, text. VII. quod qui intelligit maxima, non minus potest intelligere minima, sed magis; cuius contrarium in sensu accidit. Cum ergo divina essentia non videatur nisi per intellectum, ut dictum est, videtur quod excessus divinæ claritatis comprehensionem divinæ essentia non impediatur.

8. Præterea, Essentia divina comprehensibilis est ab aliquo intellectu, quia ipse Deus seipsum comprehendit. Si ergo ab intellectu humano non possit comprehendi, hoc erit propter defectum intellectus. Sed lumen gloriæ aufert omnem defectum intellectus, cum etiam per gloriam auferatur omnis corporis defectus. Ergo illi qui in lumine gloriæ vident Deum, comprehendunt ipsum.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de videndo Deum, cap. IX. Dei plenitudinem non solum oculis corporis, sed nec ipsa mente quisquam aliquando comprehendit.

Præterea, Sicut dicit Augustinus in Lib. LXXXIII. Quest. quest. XIV. quod comprehendit se, finitum est sibi. Ergo quod comprehendit aliud, illud finitum est ei. Sed Deus non potest esse finitum alicui intellectui creato. Ergo nullus intellectus creatus potest Deum comprehendere.

Præterea, Damascenus dicit in I. Lib. de Fide orthodox. cap. V. Quoniam incomprehensibilis est Dei substantia, his qui aivine credunt Scriptura, non dubium est.

Præterea, Omne quod comprehendit aliquid, vel est majus, vel æquale illi. Sed intellectus creatus non potest esse major Deo, nec æqualis. Ergo non potest ipsum comprehendere.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod comprehendere dicitur quasi simul prændere, id est capere: & ideo illud proprie comprehenditur quod simul capitur, id est cum omnibus que ejus sunt. Unde oportet quod omne comprehensum includatur in comprehendente; includitur autem proprie contentum in continente: & ideo oportet comprehensum contineri in comprehendente. Sicut autem dicitur corporaliter aliquid in altero contineri, quia non excedit continens ex illa parte secundum quantitatem dimensionem, ut vinum in dolio, ita dicitur contineri aliquid ab aliquo spiritualiter, quod substat virtuti ejus, & in nullo excedit ipsum. Et ideo tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendere, quando cognitum stat sub actu virtutis cognoscitivæ; & non excedit ipsam. Excessus autem omnis est secundum aliquam quantitatem. Secundum hanc autem quantitatem dicitur cognoscibile excedere potentiam cognoscitivam, secundum quam cognoscibile est ab ipsa. Sensibile autem cognoscitur & secundum quantitatem dimensionem, propter hoc quod sensus in cognoscendo utitur organo corporali, ratione cujus cognoscit sensibilia omnia que reducuntur ad quantitatem dimensionem; & secundum quantitatem virtutem, ut patet in sensibilibus propriis, que qualitates sunt: & ideo etiam comprehensio sensus impeditur & propter excessum quantitatis dimensionem, sicut impeditur ne comprehendat totam terram, & propter excessum quantitatis virtualis, sicut impeditur ne comprehendat claritatem solis: quia non est tanta virtus oculi ad cognoscendum, quanta est claritas solis quæ est cognoscibilis. Intelligibile autem non cognoscitur ab intellectu sub ratione quantitatis dimensionem, nisi per accedens, in quantum scilicet accipit à sensu; ex quo sequitur quod intelligat cum continuo, & tempore: & secundum hoc intellectus impeditur à comprehensione intelligibilis propter excessum quantitatis, sicut impeditur à comprehensione linearæ, vel numeri infiniti. Sed per se loquendo, intelligibile comparatur ad intellectum secundum rationem quantitatis virtualis, eo quod proprium obiectum intellectus est quid: & ideo in his que sunt separata à sensu, non impeditur comprehensio intellectus nisi per excessum quantitatis virtualis: & hoc est quando intelligibile plus est cognoscibile, quam intellectus cognoscere possit, vel cognoscat. Sicut ille qui scit hanc conclusionem: Triangulus habet tres (1), per probabilem rationem, quia scilicet ita communiter dicitur, non comprehendit ipsam; non quia partem ejus videt, & partem non videt; sed quia modus quo cognoscit, deficit à modo quo est cognoscibilis per demonstrationem. Essentia autem divina est cognoscibilis per veritatem suam; intellectus autem est cognoscitivus per lumen intellectuale quod est in ipso. Veritas autem divinæ essentia excedit lumen quodcumque intellectus creati: & ideo impossibile est quod videat Deum ita perfecte sicut est visibilis: & ex hoc sequitur quod nullus intellectus creatus Deum comprehendere possit.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus loquitur de comprehensione gloriæ, quæ scilicet fit ut anima capiat in se omne illud quod ad perfectionem gloriæ pertinet; & secundum hoc dicitur gloriam comprehendere, quamvis nunquam divinam essentiam intellectu comprehendat. Vel comprehensio sibi dicitur ipsa pervenire ad habendum Deum, secundum quod spei dicitur comprehensio succedere.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus duo ponit in definitione comprehensionis: quorum uno excluditur excessus cognoscibilis supra virtutem cognoscentis, quæ est secundum quantitatem dimensionem; & quantum ad hoc dicit: Quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem: alio autem excluditur excessus secundum quantitatem virtutis; & quantum ad hoc dicit: Aut ejus fines circumscribi possunt: tunc enim fines rei circumscribuntur quando videns pervenit ad finem visionis perfecte videndo.

Ad tertium dicendum, quod totam essentiam divinam Sancti videbunt in patria, sed non totaliter: non ita quod aliquis modus sit in Deo quem non videant, vel aliquis modus sit intellectus ipsorum qui non convertatur ad Deum; sed quia modus quo convertuntur ad Deum cognoscendum, non est æqualis modo quo Deus est cognoscibilis: & hæc inæqualitas ostenditur cum dicitur, quod divina essentia non totaliter videbitur: hoc enim adverbium totaliter neque dicit modum videntis absolute, neque modum absolute rei visæ; sed modum videntis per comparationem ad rem visam; hoc enim adverbium determinat ipsam visionem, secundum quam comparatur videns ad visum.

Ad quartum dicendum, quod quando aliquid intelligit se, idem est modus cognoscentis, & cogniti: & ideo si intelligit se, comprehendit se. Non est autem idem modus cognoscentis, & cogniti quando intellectus intelligit aliud: & ideo non est simile.

Ad quintum dicendum, quod eodem modo aliquis

(1) Supple angulos. (2) Al. & statim.

cognoscit quid est res, quo cognoscit essentiam rei, cum ipsa essentia sit quidditas rei: & ideo ille solus comprehendit quid est res, qui comprehendit essentiam; unde sicut Sancti videbunt essentiam divinam, sed non comprehendunt ipsam; ita videbunt quid est Deus, sed non comprehendunt: (2) & ita non videbitur Deus ab eis sicut videtur res per suam definitionem; cujus essentia comprehenditur.

Ad sextum dicendum, quod actio non attribuitur formæ tantum, quæ est principium actionis, sed composito; sicut calefactio calido, non calori tantum: & ideo actionem oportet mensurare non solum secundum formam, quæ est principium actionis; sed etiam secundum subjectum formæ. Sed forma quæ non est per se subsistens, non habet alium modum à modo subjecti, quia non habet esse nisi in quantum est actus talis subjecti; & ideo mensura formæ est mensura compositi: sed formæ quæ est per se subsistens, habet aliquem modum, in quantum est res quædam subsistens, & quemdam modum, secundum quod est actus talis subjecti: & hic modus accipitur secundum mensuram, quæ perfectibile pertingit ut perficiatur tali forma; & ex hoc modo mensuratur actio. Essentia autem divina est per se subsistens; & ideo visio quæ per eam fit in intellectu creato, non mensuratur secundum modum infinitum, qui est ipsius essentia secundum se, sed secundum modum quo intellectus pertingit ad hoc quod per ipsam perficiatur. Ad hoc autem pertingit, in quantum ei conjungitur per lumen gloriæ, quod est finitum: & ideo finita est ex parte videntis.

Ad septimum dicendum, quod claritas Dei dicitur veritas suæ essentia, per quam cognoscibilis est, sicut sol per suam claritatem; & quamvis non impediatur comprehensionem per corruptionem intellectus, impedit tamen ex ipso excessu: quia non potest contingere quod intellectus creatus pertingat ad cognoscendum ita perfecte divinam essentiam sicut cognoscibilis est.

Ad octavum dicendum, quod gloria perficit naturam, & non destruit; & ideo imperfectio, quæ est de ratione nature, lumen gloriæ non tollit, sicut hoc quod est ex nihilo esse: ex hoc autem ipso intellectus creatus deficit à possibilitate comprehensionis; & ideo nec per lumen gloriæ ad comprehensionem pervenire potest.

ARTICULUS IV.

Utrum eorum qui vident Deum per essentiam, unus alio videat perfectius.

I. P. quest. XVI. art. 6. & III. cont. Gen. cap. LVIII.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod eorum qui vident Deum per essentiam, unus alio non videt perfectius. Quia, ut dicit Augustinus in Lib. LXXXIII. Q. quest. XXXI. eandem rem non potest unus alio magis intelligere. Sed divina essentia non videbitur nisi per intellectum. Ergo unus alio non videbit perfectius.

2. Præterea, Tanto aliquid perfectius videtur, quanto expressio similitudo rei in se fit in vidente. Sed non erit expressior similitudo qua Deus videatur in uno quam in alio eorum qui Deum per essentiam vident: quia eadem essentia est in omnibus. Ergo unus alio non melius videbit.

Præ-

Ex Edit. P. Nicolai (2) Lib. IV. Dist. cap. XXXII.

3. Præterea. Ille melius videt à quo magis remouentur impedimenta visionis. Sed in nullo remanebit aliquid visionis impedimentum. Ergo omnes æqualiter videbunt.

4. Præterea. Omnes Sancti videbunt Deum sicut est: I. Joan. 111. Sed non potest melius videri quam sit. Ergo unus alio non melius videbit.

5. Præterea. Optimus modus cognoscendi Deum est quo videtur per essentiam. Sed optimo non potest esse melius. Ergo videntium Deum per essentiam unus alio melius non videt.

Sed contra. Homines assumuntur ad sortes Angelorum. Sed superiores Angeli Deum clarius vident quam inferiores, ut patet per Dionysium in cæl. Hier. c. v. VIII. & x. Ergo & hominum in gloria quidam aliis clarius videbunt.

Præterea. In visione Dei consistit essentialiter hominis beatitudo. Sed quidam aliis beatiore erunt, ut supra dictum est. Ergo quidam aliis clarius videbunt.

Præterea. In lumine gloriæ Deus à Sanctis videbitur, sicut dicitur in Psalm. xxxv. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Sed quidam aliis majori lumine replebuntur. Sicut enim stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum, ut dicitur I. Corinth. xv. Claritas autem corporis claritatem indicabit mentis. Ergo quidam clarius videbunt Deum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum principium actionis sit forma qua agitur, oportet ex parte ejus sumi actionis mensuram; aliter autem in formis subsistentibus quam in aliis formis, ut prius dictum est. In aliis enim formis est quantitas fortitudinis in actione secundum quantitatem ejus quod receptum est de forma in subiecto, ut de calore in calido; in formis autem subsistentibus, secundum quod subiectum subditur formæ magis vel minus. Potentia autem cognoscitiva subditur formæ qua cognoscit, secundum hoc quod habet virtutem cognoscendi. Illud enim quod facit visum potentem ad videndum est quod facit eum receptivum similitudinis coloris. Sicut autem intellectus possibilis per lumen naturale intellectus agens fit cognoscitivus naturalium cognoscibilium, ita per lumen gloriæ superadditum fit visivus divinæ essentiæ: unde secundum quantitatem recepti luminis accipitur modus quo substat intellectus noster essentiæ divinæ, ut formæ intelligibili, & per consequens modus perfectionis in operatione, cujus talis forma est principium, scilicet in visione Dei per essentiam: & ideo cum quidam Sancti aliis majori lumine gloriæ repleantur, quidam aliis clarius videbunt.

Ad primum ergo dicendum, quod unus alio non potest aliquid idem magis intelligere, si ly magis importat modum qui est ex parte intellecti. Non enim potest esse ut aliquis intelligat rem, nisi intelligendo rem habere illum modum quem habet: si enim alium modum rei attribuat, errat, & non intelligit: & sic intelligit Augustinus. Sed si ly magis dicat modum qui est ex parte intelligentis, sic unus alio melius potest intelligere, in quantum est limpidiore ejus cognitio de uno & eodem cognoscibili.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in intellectu unus Sancti non sit expressior similitudo Dei qua ipsum cognoscit, quam in alio, quia quilibet

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Lib. IV. Dial. cap. xxxi 11.

per essentiam suam Deum videt: tamen intellectus unius perfectius substat formæ qua intelligit, quam intellectus alterius; & ita unus alio perfectius intelligit.

Ad tertium dicendum, quod intensio secundum quam aliquid dicitur magis & minus, non solum causatur per recessum à contrario, non solum per accessum ad terminum, sicut patet in intensione lucis corporalis: & sic etiam lumen spirituale intenditur in uno beatorum magis quam in alio per majorem assimilationem ad Deum, quamvis in nullo inveniatur aliquid contrarium illi lumini.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, Omnes Sancti videbunt Deum sicut est, ly sicut importat modum qui est ex parte visi, non qui sit ex parte videntis. Quilibet enim videbit Deum esse eo modo quo est; sed tamen modus videntis non erit æqualis modo rei visæ, sed in infinitum distans; & ita modus unius videntis potest esse minus distans quam modus alterius.

Ad quintum dicendum, quod videre Deum per essentiam est perfectissimus modus cognoscendi Deum secundum genus; sed tamen in hoc genere potest majus & minus inveniri, sicut ignis est subtilissimus corporum specie; & tamen unus ignis alio subtilior invenitur.

ARTICULUS V.

Utrum Sancti videntes Deum per essentiam omnia videant quæ Deus in seipso videt.

I. P. q. xii. art. 8. III. cont. Gent. cap. lxx. & de ver. q. viii. art. 4.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Sancti videntes Deum per essentiam, omnia videant quæ Deus in seipso videt. Quia, ut ait Isidorus in Lib. de summo bono, I. cap. xii. §. xvii. Angeli in Verbo Dei omnia sciunt antequam fiant. Sed Sancti Angelis æquales erunt, ut patet Matth. xxi. Ergo & Sancti videntes Deum omnia videbunt.

2. Præterea. Gregorius dicit (a) Lib. II. Moral. cap. 111. *Quia illic omnes communem claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ut sciant omnia sciunt?* Loquitur autem de beatis qui vident Deum per essentiam. Ergo qui videt Deum per essentiam, omnia cognoscit.

3. Præterea. Sicut dicitur in III. de Anima, text. vii. intellectus, cum intelligit maxima, magis intelligere potest & minima. Sed maximum intelligibile est Deus. Ergo maxime auget virtutem intellectus in intelligendo: ergo intellectus Deum videns, omnia intelligit.

4. Præterea. Intellectus non impeditur ab intelligendo aliquid, nisi in quantum illud superat ipsum. Sed intellectum Deum videntem nulla creatura superat: quia, ut dicit Gregorius in II. Dial. cap. xxxv. *anima videnti Creatorem angusta fit omnis creatura.* Ergo videntes Deum per essentiam omnia cognoscent.

5. Præterea. Omnis potentia passiva quæ est non reducta ad actum, est imperfecta. Sed in possibili intellectu animæ humanæ est potentia quasi passiva ad cognoscendum omnia: quia intellectus possibilis est quo est omnia fieri, ut dicitur in III. de Anima, text. xviii. Si ergo in illa beatitudine non intelligeret omnia, remaneret imperfectus; quod est absurdum.

Præ-

6. Præterea. Quicumque videt speculam, videt ea quæ in speculo resultant. Sed in Verbo Dei omnia sicut in speculo resultant: quia ipsum est ratio, & similitudo omnium. Ergo Sancti qui vident Verbum per essentiam, vident omnia creatura.

7. Præterea. Ut dicitur Prover. cap. x. 24. *Desiderium suum justis dabitur.* Sed Sancti desiderant omnia scire, quia omnes homines, natura scire desiderant (ut in princ. Metaph.) nec natura per gloriam auferunt. Ergo dabitur eis à Deo quod omnia cognoscant.

8. Præterea. Ignorantia est quædam poenalis præsentis vitæ. Sed omnis poenalitas à Sanctis per gloriam auferetur. Ergo & omnis ignorantia; & ita omnia cognoscent.

9. Præterea. Beatitudo Sanctorum per primum est in anima quam in corpore. Sed corpora Sanctorum reformabuntur in gloriam ad similitudinem corporis Christi, ut patet Philip. 111. Ergo & animæ perfecti fuerint ad similitudinem animæ Christi. Sed anima Christi in Verbo omnia videt, ut in III. Libroidist. xiv. (q. 1. art. 2. quæstio 2.) dictum est. Ergo & omnes animæ Sanctorum videbunt omnia in Verbo.

10. Præterea. Sicut sensus, ita & intellectus cognoscit omne illud in cuius similitudinem informatur. Sed divina essentia expressius indicat quamlibet rem quam aliqua alia similitudo rei. Ergo cum in illa beata visione essentia divina fiat quasi forma intellectus nostri, videbitur quod Sancti videntes Deum omnia videant.

11. Præterea. Commentator dicit in III. de Anima, comm. xxxvi. quod si intellectus agens esset forma intellectus possibilis, intelligeremus omnia. Sed divina essentia clarius representat omnia quam intellectus agens. Ergo intellectus videns Deum per essentiam cognoscit omnia.

12. Præterea. Propter hoc quod inferiores Angeli nunc non omnia cognoscant, illuminantur de ignotis à superioribus. Sed post diem iudicii Angelus non illuminabit Angelum: tunc enim omnis prælatio cessabit, ut dicit Glossa I. Corinth. xv. vers. 24. Ergo inferiores Angeli tunc omnia scient, & eadem ratione omnes alii Sancti Deum per essentiam videntes.

Sed contra. Sicut dicit Dionysius in viii. cap. celest. Hier. Angeli superiores inferiores à nescientia purgant. Angeli autem inferiores vident essentiam divinam. Ergo Angelus videns essentiam divinam (1) potest aliqua nescire. Sed anima non perfectius videbit Deum quam Angelus. Ergo animæ videntes Deum non oportet quod omnia videant.

Præterea. Solus Christus habet spiritum non ad mensuram, ut dicitur Joan. 111. Sed Christo, in quantum habet spiritum non ad mensuram, competit quod omnia in Verbo cognoscat: unde ibidem dicitur, quod Pater omnia dedit in manu ejus. Ergo nulli alii competit omnia cognoscere in Verbo nisi Christo.

Præterea. Quanto aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plures effectus ejus cognoscuntur per ipsum. Sed quidam videntium Deum per essentiam perfectius aliis cognoscent Deum, qui est rerum omnium principium. Ergo quidam aliis plura cognoscent; & ita non omnes scient omnia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Dens videndo suam

essentiam cognoscit omnia quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt: & hoc dicitur cognoscere notitia visionis, quia ad similitudinem visionis corporalis cognoscit ea quasi præsentia. Cognoscit insuper videndo essentiam suam omnia quæ potest facere, quamvis numquam fecerit, vel facturus sit; alias non perfecte cognosceret potentiam suam; non enim potest cognosci potentia, nisi sciatur potentia objecta: & hoc dicitur cognoscere notitia simplicis intelligentiæ. Impossibile est autem quod aliquis intellectus creatus cognoscat omnia videndo essentiam divinam quæ Deus potest facere; quia quanto aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plura sciuntur in ipso; sicut in uno demonstrationis principio ille qui est perspicacioris ingenii, plures conclusiones videt quam alius qui est ingenii tardioris. Cum ergo quantitas potentia divina attendatur secundum ea in quæ potest, si aliquis intellectus videret in divina essentia omnia quæ Deus potest facere, eadem esset quantitas perfectionis in intelligendo quæ est quantitas divinæ potentia in produciendo effectus; & ita comprehenderet divinam essentiam; quod est impossibile omni creato intellectui. Illa autem omnia quæ Deus scit notitia visionis, & illis intellectus creatus cognoscit in Verbo, scilicet (1) anima Christi, ut in III. Lib. distinct. xiv. dictum est.

Sed de aliis videntibus divinam essentiam est duplex opinio: scilicet quidam dicunt, quod omnes videntes Deum per essentiam vident omnia quæ Deus videt scientia visionis. Sed hoc repugnat Sanctorum dictis, qui ponunt Angelos aliqua ignorare; quos tamen constat secundum fidem omnes Deum per essentiam videre.

Et ideo alii dicunt, quod alii à Christo, quamvis videant Deum per essentiam, non tamen vident omnia quæ Deus videt, eo quod essentiam divinam non comprehendunt. Non est enim necessarium quod sciens causam, sciat omnes ejus effectus, nisi causam comprehendat; quod non competit intellectui creato: & ideo unusquisque videntium Deum per essentiam tanto plura in ejus essentia conspiciat, quanto clarius divinam essentiam intuetur: & inde est quod de his potest unus alium instruere; & sic scientia Angelorum, & animarum Sanctorum potest augeri usque ad diem iudicii, sicut & alia quæ ad præmiam accidentale pertinent. Sed ulterius (3) non proficiet: quia tunc erit ultimus status rerum, & in illo statu possibile erit quod omnes omnia cognoscent quæ Deus scientia visionis novit.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dicit Isidorus quod sciunt Angeli in Verbo omnia antequam fiant, non potest referri ad illa quæ Deus scit scientia simplicis intelligentiæ tantum, quia illa nunquam fient; sed referendum est ad ea tantum quæ Deus scit scientia visionis, de quibus etiam dicit, quod non omnes Angeli ea omnia cognoscant, sed forte aliqui; & illi etiam qui cognoscunt, non perfecte omnia cognoscunt. In una enim re est multas rationes intelligibiles considerare, sicut diversas ejus proprietates, & habitudines ad res alias; & possibile est quod eadem re scita communiter à duobus, unus alio plures rationes percipiat, & has rationes unus ab alio accipiat: unde & Dionysius dicit vii. cap. de divinis Nominibus quod inferiores Angeli docentur à superioribus rerum scibiles rationes: & ideo etiam Angeli qui omnes creaturas cognoscunt, non oportet

(1) Al. non potest. (2) Al. in anima. (3) Al. non proficiet.